

tem statim esse confidit. *Ego autem, inquit, quoniam peccator sum, dissolvi non cupio, sed reformido, sciens quia mors peccatorum pessima. Formido exire et in ipso contremisco portus ingressu; dum non confido prope assistere, qui excipiat exeuntem.* Abbas Agatho Ægyptius cum et ipse mortem timeret, hanc sui timoris causam edixit: *Multum a iudiciis hominum Dei iudicium differt; illi enim, etiam quæ damnationem merentur, bona iudicant nonnunquam; Dei vero iudicia abyssus.* Similiter S. Hilarion cum morte luctans, dicebat: *Egredere anima mea, egredere, quid times; septuaginta annis servisti Deo, et mori times?* refert Hier. in ejus vita. Et nonne hic erat Hilarion, qui olim in latrones mortem sibi minitantes incidens, respondit mortem non timeri ab eo qui paratus est mori? Quid igitur nunc moriens timet? Profecto si jam non timemus iudicium, timebimus tamen in articulo mortis: et si modo cum Balaamo Angelum Michaellem nobis obviaturum districto gladio velut remotum, non videmus, videbimus tamen vicinum, cum conciderit asina corporis nostri in lethalem morbum, tunc aperientur oculi nostri. Sed quid remedii in tanta illa angustia, et viæ obscuritate? Præcursor Domini per totum hunc adventum clamat: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Cum enim de nocte ambulas in mediis tenebris, dummodo scias planam esse viam et rectam, jam securus ambules. Suadet igitur Joan. ut dirigamus per pœnitentiam et complanemus nobis viam mortis, quæ ad iudicis adventum ducit. Et hoc fiet; cum omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur; id est, cum omnia salutis impedimenta per pœnitentiam removebis. Sic erit via plana, et ut Job. c. XI. ait: *Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris a te, et non manserit in tabernaculo tuo injustitia; tunc levare poteris faciem tuam absque macula, et eris stabilis, et non timebis.* Levate scilicet, quo modo hodie dicitur: *Respicite et levate capita vestra.* Neque dubitare debes etiam tunc acceptam fore Deo tuam pœnitentiam, quia primo ipse dixit, per Ezechielem c. XVIII: *In quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius.* Secundo, quia paterfamilias noster non exiit tantum primo mane et meridie vocare operarios, sed etiam vespere, undecima et ultima diei hora; etsi tunc optius te vitia, quam illa tu, relinquere videntur. Nam etiam latro in cruce non tam reliquit furta, quam relictus est ab eis; et tamen Christus acceptam statim habuit ejus pœnitentiam, ut et te animaret. Tertio, quia ipse jubet nos nunquam desperare veniam. Quarto, quia propterea præcepit et ordinavit morituris maxime Sacramenta con-

fessionis, communionis, unctionis; ut intelligeremus hæc Sacramenta semper efficacia esse, et se per hæc omni modo cupere promovere nostram salutem. Ad quid enim tot remedia nobis ordinaret cœlestis Medicus, si inefficacia forent aut sera nimis?

III. Erunt signa in stellis, secundum Matthæum: *Stellæ cadent de cœlo*: hoc est, abscondent et detrahent splendorem suum, sicut dicitur Joelis III. Vel ut alii explicant, inflammata exhalationes et fulgura de cœlo cadent et micabunt, velut cum nocte putamus stellas se emungere et partes aliquas ignitas dejicere. Stellæ noctis delicæ, delicias hujus sæculi obscurissimi repræsentant, et has pariunt tibi primo divitiæ, dignitates et voluptates; secundo amici, parentes, liberi, cognati, noti; tertio corpus proprium, ejus robor, venustas, juvenus, nobilitas, etc. Hæc sunt solatia mundanorum ambulantium de nocte. Inter stellas, seu potius constellationes, sunt Venus et Virgo, Mars, Canis et Lepus, Lyra, Gemini, Cancer, Taurus, Pisces, etc. quia talium rerum similitudinem aliquo modo repræsentant. Hæc eadem suo modo reperiuntur et in terra, quibus homines delectantur et putant quodammodo in his consistere cœlum suum. Sed morte per ægritudinem pulsante, hæc omnia retrahent splendorem suum, calorem, influxum, quia subtrahent tibi tunc solatium, quod olim afferebant. Venus et amasia te deseret, amici et noti vix invisent, hastiludiis et venationibus nequaquam adesse poteris, nec crateres exhaurire. Cithara et Lyra te non recreabit, etc. Clarissima hæc lumina omnia obscurabuntur, et quæ antea summam tibi afferebant lætitiâ, postea te cruciabunt et carniſices tui erunt. Dilecta conjux, dulces liberi, jucundi amici, præstantia vina, lautæ epulæ, ingens thesaurus, et aurea, argenteaque suppellex, honores et voluptates, olim sola mentis cogitatione te recreabant, solo aspectu, solo auditu; tunc tibi cruces erunt, quia relinquentur. Hinc prudens uxor et dulces liberi eo tempore a conspectu patris solent recedere, arceri convivium et musica, amoveri delectabilia, ne præsentia sua affligant morientem. Unde verissime Ecclesiasticus cap. XLI. inquit: *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis!* Expertus fatetur Agag, rex ille pinguissimus, qui mox interficiendus dixit: *Siccine separat, amara mors?* I. Reg. XV. Sed quid in his remedii? Quod Christus discipulis præscripsit Matth. X. ut exeuntes de domo in qua accepti non sunt, excuterent pulverem de pedibus in testimonium, quod nihil e domo efferre voluerint. Similiter et tu si bene et suaviter mori cupis, excute de pedibus, id est, ultimis vitæ tuæ diebus, pulverem ter-

renorum affectuum et concupiscentiæ erga res omnes creatas. Non frustra dicitur Diabolus insidiaturus calcaneo nostro, id est, fini vitæ: advertet enim sedulo, num te pulverem aliquem ejusmodi tecum e mundo efferas, ut te quasi furem et mundi amatorem comprehendat spoliisque. S. Hilarion a latronibus comprehensus et interrogatus an timeret, dicebat: *Nudus latrones non timet.* Ita etiam qui a se abjicit omnem affectum inordinatum erga res creatas. Dæmones in illo die non timet, quia non habet unde teneri queat. *Vestitus autem quispiam cum altero luctans citius ad terram dijicitur,* ait S. Greg. hom. XXXI. in Evang. *quia habet unde teneatur.* Transcribe igitur eo præsertim tempore omnia Domino Deo cum Job, et dic: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Incipe ea, Salomone tandem resipiscente, odisse et cognoscere quod aliud non sint, nisi vanitas vanitatum. Huc fecit, quod suadet Dominus: *Qui in tecto est non descendat in domum tollere tunicam suam: qui in agro, non revertatur tollere aliquid de domo;* id est, qui jam in fuga mortis est, non se retardet his nugis, ne impeditur capiatur.

IV. In terris pressura gentium, id est, in corpore ingentes dolores, plures morbi supervenientes. Terra enim corpus est, gens, mors et vita sunt: qui in moriente confligunt atrocissimo duello. Cum Rebecca uterum ferens magnis teneretur doloribus et colliderentur in utero ejus infantes, Jacob et Esau, consuluit super hæc re Deum, qui dixit: *Dux gentes sunt in utero tuo et duo populi: et major serviet minori.* Gen. XXV. Ita in agonizante pugnans mors et vita: hæc conservari nititur, illa eam expugnare conatur; et oritur hoc prælium ex fœtibus, id est humoribus inter se pugnantibus, in auxilium vitæ vocatur medicus et omnis generis pharmaca: sed quidquid tandem sit, *Major serviet minori;* id est, vita cedet morti. Præmetur tunc spiritus in corpore, quomodo premitur civitas obsidione, donec cives eam deserant. Ducitur vallum in circuitu, ne commeatus inferri queat, aqua avertitur, mola destruuntur, deinde muri et turres tormentis quatiantur, ignei globi ædibus inflammandis injiciuntur. Ita in ægro appetitus perditur, aqua, vinum, et quæ gustui placerent, interdiciuntur, dentes molere nequeunt, ossa et nervi debilitantur potionibus et clysteribus, inflammantur sanguis et membra, atque ita tandem deserere castrum suum cogitur homo, et sicut ingenti matris dolore natus est in mundum, ita maximo dolore iterum egreditur. Interea intumescit pectus, vox raucescit, oculi cavantur, genua frigescent, pedes moriuntur, vultus pallescit, et omnia membra frigidum sudorem emittunt: in summa adeo torquetur homo, ut aliqui petierint inter-

fici uti Saul, alii seipos interfecerint, ut conatus est Herodes vermibus scatens, alii præ dolore exclamarint, ut Clotarius Franciæ rex, qui cum acuta febris torqueretur, vociferatus est: *Vah quid putatis? Qualis est ille Rex cœlestis, qui sic tam magnos reges interfecit?* Greg. Turonens. apud Baron. A. 565. Quid igitur faciendum homini tantis in angustiis? Sane patiendum tibi est; sed, ut levior sit pressura, propone tibi exemplum Christi, qui Petro volenti impedire ejus passionem dixit: *Calicem quem dedit mihi Pater non vis ut bibam illum? An putas quia non possum rogare Patrem meum, etc.* Amarissimum illum passionis suæ calicem acceptavit velut a Patre sibi propinatum, licet a Judæis et dæmone mixtus illi esset; et cum facillime posset ab eo liberari, noluit, nec admisit nisi unum Angelum se confortantem. Accepta igitur et tu calicem mortis tuæ, et ambabus amplectere manibus. Novit enim Deus quid tibi maxime prosit. Si a medico haud gravitate acceptas sirupos, venæsectiones, ustiones, etc. cur non et ægritudinem a cœlesti medico tibi præscriptam? Novit ille te purgatorium non effugiturum, ideoque offert tibi hic mitiorem calicem, qualem obtulit Latroni bono, qui per crucem suam purgatus eodem die cum Christo meruit esse in paradiso. Quis non malit cum illo pati volens, quam cum nequam Latrone nolens? Tanta esse potest tua crux et patientia, mox ut ad cœlum evoles. Quod si Dominus voluit promereri gloriam per calicem mortiferum, qui mox in curru igneo potuisset in cœlum sicut Elias ascendere, quanto magis decet, ut simili modo tuam merearis!

CONCIO III.

PRODROMI SEU APPARATUS JUDICII EXTREMI.

I. Signa prævia: 1º in cœlo, 2º in igne, 3º in aere, 4º in aqua, 5º in terra, 6º in hominibus, 7º in bestiis, 8º in Dæmonibus. — II. Ignis conflagrationis, qui: 1º dissolvit mixta, 2º purgabit electos, 3º mundum expiabit. — III. Resurrectio mortuorum, in qua: 4º convocabuntur mortui, 2º confluent in corpora sua cineres, 3º congregabuntur omnes ad vallem Josaphat.

THEMA.

Respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Luc. XXI.

In vita S. Henrici imp. legimus sanctum illum, cum Bavariæ dux esset, orasse aliquando ad sepulchrum S. Wolfgangi Ratisbonæ, magistri quondam sui, multisque votis sancto illi præsulî se suaque commendasse. Qui in oratione visus est illi ad stare præsul, monens ut vicinum tumulo parietem aspiceret, legeretque exaratas ibi litteras; scriptum erat: *Post Sex.* Henricus hac scriptura mortem sibi denuntiari autu-

mans, parare se mox ad eam cœpit, largiendo eleemosynas, aliaque procurando, quasi sexto die moriturus. Ubi vero sextum diem incolumis transisset, ratus sextum mensem sibi imminere, rursus per semestre totus in cura mortis fuit. Cum et sextum mensem supervixisset, sextum deinceps annum in expectatione mortis habuit, quo demum rex Romanorum renuntiatus est; atque ita vaticinium præsulis institutoris sui assecutus est. Videtur sane Christus Dominus et Magister noster aliquid nobis simile scribere et ostendere voluisse, dum in suo Evangelio tam sæpe nobis ob oculos ponit propinquitatem finis mundi, uti in hodierno Evangelio, cum ait: *His fieri incipientibus respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Item Matth. XXIV: *Statim post tribulationem dierum illorum (eversiones Jerosolymitanæ) sol obscurabitur.* Matth. XXV. *Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus cœli.* Voluit enim diei illius propinquitatem, sed ambiguis vocibus (*statim et amodo*) indicare, ut semper essemus parati, atque ita, adveniente illo, non mortem animæ oppeteremus, sed ad regnum cœlestē eveheremur. Hinc igitur sancti viri diem illum non secus timuerunt, aliisque inculcarunt, (uti S. Joannes ep. I. c. II. *Filioli novissima hora est.* S. Medardus, S. Gregorius, S. Vincentius Ferrer.) ac si eousque victori essent. Hunc eundem nobis inculcat hoc maxime tempore Ecclesia. Ergo, auditores, respicite et levate capita vestra, discutiemus enim hoc adventus tempore processum illius iudicii.

I. Præcedent signa terribilia in omnibus pene totius universi partibus, ut indicent brevi ruiturum orbem, cujus omnes partes et contignationes dissolvi et fragorem edere incipient. Erunt autem primo signa in cœlo: sol enim et luna cum stellis obscurabitur secundum tertiam partem, ita ut dies æque ac nox, tertia parte fit obscurior solito (ut habetur partim Matth. XXIV. partim Apoc. VIII.) ut indicent tum metum, quo percussæ stellæ retrahent splendorem suum ante faciem adventuri Iudicis, sicut homo in timore retrahit ad cor sanguinem suum: tum etiam pudorem, quo perfusæ de atrocissimis hominum sceleribus nolint ea amplius contemplari: tum gaudium impiorum mox finendum, et tenebras gehennæ brevi incepturas.

Secundo. In igne; stellæ enim de cœlo cadent, id est, aereæ inflammationes, fulgura et ignitæ faces, formæ et figuræ prodigiosæ, quæ videbuntur esse stellæ; (loquitur enim Scriptura vulgari modo, non philosophico) portendet autem hic stellarum casus plurimorum lapsum ad infernum, quia ipsi e sublimi gratiæ statu in peccatum præcipitarunt. Accedet plaga ignis de

cœlo casuri, et tertiam partem terræ combusturi. Apoc. VIII. mixtum, videlicet variis in orbis partibus, in ultionem ignis libidinis. Item cometa seu stella ingens, ardens tamquam facula, quæ de cœlo cadet, suoque casu dissiliens comminuta dividitur in multas faculas seu exhalationes, quæ in varios fontes et flumina incidentes, ea inficiunt, et amarissima instar absinthii faciunt, unde stella illa vocabitur Absinthium, Apoc. VIII. et hoc fiet in pœnam sceleratæ voluptatis, præsertim gulæ et crapulæ impiorum, ut qui vino pretioso se impleverunt, impleantur jam absinthio.

Tertio. In aere erunt pestilentia, Luc. XXI. in ultionem scelerum, quibus aer quodammodo infectus fuit, uti contumeliis, detractionibus, perjuris, blasphemis, etc. Deinde plagæ grandinis mixtæ sanguini, Apoc. VIII. in ultionem effusi sanguinis piorum ab impiis. Accedet æstus solis, Apoc. XVI. Dabitur enim soli vis affligendi homines æstu tanto, ut ignis videatur, indeque homines gravissime æstuent, et quasi assentur, ideoque præimpatia Deum blasphemant; in ultionem malarum cupiditatum et desideriorum quibus æstuabant improbi.

Quarto. In aqua erit primo confusio maris et fluctuum, indeque sonitus horribilis, ut in hodierno Evangelio. Rugiet enim mare velut leo parans se ad devorandos impios, qui in insulis maris et maritimis regionibus, nec non in navigiis positi plurimæ mala perpetrarunt. Deinde mons ardens seu massa ignis sive globus ingens ex alto mittetur in mare, et comburet tertiam partem navium ac piscium, Apoc. VIII. Ad hæc mare vertetur in speciem sanguinis atri, qualis fluere solet e cadaveribus, similiter et fontes et flumina, Apoc. XVI. in ultionem sanguinis innocentium effusi: ut ita sanguinem bibant, qui sanguinem sitiierunt et fuderunt. Denique siccatur fluvius Euphrates, Apoc. XVI. et aperit iter regibus conventuris ad pugnandum pro Antichristo contra Ecclesiam.

Quinto. In terra erit pressura gentium, ut in hod. Evang. proveniens ex bellis et seditionibus, fame et pestilentia, Luc. XXI. Accedet ingens terræ motus, cum grandine, tonitru, fulmine et vocibus articulatis in aere, quibus terror incutiatur impiis, Apoc. XVI. et Luc. XXI. inde non solum plurimæ civitates, corruent, sed etiam multi montes concident, et insulæ operientur aquis.

Sexto. In hominibus, qui adhærebunt Antichristo, erit vulnus sævum pessimum, Apoc. XVI. in ultionem libidinis: grassabitur enim in ea potissimum membra, quibus libidini servitur.

Septimo. In bestiis plaga locustarum, a quibus vexabantur impii, locustæ erunt peregrinæ et sævissimæ morsibus cruciaturæ homines, qua-

rum rex et ductor rit Dæmon aliquis, Apoc. IX.

Octavo. In Dæmonibus. Solventur enim quatuor Dæmones, qui mox ubique terrarum bella concitabunt, quibus orbis ita atteretur, ut facile tertia pars hominum sit interitura, Apoc. IX.

Hæ sunt fere plagæ iudicium præcessuræ: in quibus elucet Dei justitia misericordiæ mixta. Justitia quidem, dum undique ex omnibus mundi partibus carnifices accersentur ad plectendos impios; et quemadmodum horologium, cum ad horam frugendam solvitur, omnes pene rotas magno fragore circumagit, et mox ponderosum malleum elevat ad campanam feriendam, ita extremo illo tempore concutiet Deus orbem totum, et postea elevabit manum suam, nimium heu gravem ad prosternendos impios, simulque claudet seu finiet horam temporis hujus. Misericordia vero, dum hæ plagæ paulatim et cum ea moderatione adhibebuntur, ut peccatores possint respicere; deinde dum pleræque impios tantum, vel certæ potissimum tangent. Boni enim suam interim pacem et consolationem habebunt, quemadmodum habuere Hebræi in Ægypto, durantibus decem plagis. Neque tamen inde sequitur, impios omnes ex illis plagis convertendos. Ut enim Pharaon et Ægyptii, spretis illis plagis, permanserunt obstinati, sic facient tunc impii quam plurimi.

II. Succedet ignis conflagrationis, qui Christum Iudicem præcedet, juxta id Ps. LXIX. *Ignis ante ipsum præcedet et inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Taceo alia loca. Erit autem hujus ignis effectus triplex. Primo dissolvit omnia corpora mixta in elementa. Cum enim omnia illa ad usum temporalis vitæ hominum condita sint, cessante illo, nulli erunt usui, ac proinde resolvenda sunt in sua principia, ex quibus compacta; et suis elementis restituenda. Itaque exuretur terra profundissime et omnia quæ in ea sunt, omnes arbores, omnia prata, omnia viridaria, omnes thesauri, aurum, gemmæ; exurentur montes et montium fundamenta, e quibus aurum, metallum, gemmæ, lapides eruuntur; dissolvuntur saxa et metalla, et liquescent instar ceræ; exuretur mare, ita ut consumetur quidquid in eo terrenum et concretum est, omnes pisces, omnes naves, omnes divitiæ in eo reconditæ: denique exuretur quidquid est in aere materiæ inflammabilis. Hæc omnia colliguntur manifeste ex SS. Litteris, uti II. Pet. III. *Adveniet autem dies Domini, inquit, tanquam fur, in quo cœli, (id est, superior aeris regio) magno impetu transient; elementa vero, (id est, mare et infima regio aeris) calore solventur, terra autem et quæ in ipsa sunt opera, exurentur.* Item Deut. XXXII. *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima, devorabilique terram cum germine suo, etc.* Nimirum sicut dux

exercitus, cum obsidionem solvit, castra sua deserit et incendit, quod nulli amplius serviant, ita et mundi Dux creaturas suas, in quibus vestigia divinitatis suæ posuit, et per quas ad sui amorem et obedientiam pellicere homines semper studuit, tandem deseret et igni tradet. Atque hic est finis mundi hujus spectabilis, tam speciosi, tam instructi omnibus utensilibus, pro quo tot et tantæ altercationes instituuntur, qui tantopere diligitur, et a multis pene adoratur. Tunc dicetur illis, quod Daniel dixit Babylonis, cum dirupit draconem, quem pro Deo adorabant: *Ecce quem colebatis;* Daniel, XIV. Quisquis igitur sapit, non ad faciem mundi comptam et fucatam, sed ad finem ejus attendit. Quisquis sapit, rebus perituris cor suum non affigit. Peribunt et in uno quasi tumulo sepelientur omnes mundi delicia, fructus, flores, aurum, gemmæ, equi, boves, palatia, horti, picturæ, agri, libri. Peribis ergo cum illis, si innitaris illis.

Secundo. Purgabit justos, qui aliquid culpæ vel reatus pœnæ habuerint, quemadmodum nunc facit ignis purgatorii, juxta id I. Cor. III. *Dies Domini declarabitur, qui in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit, etc.* Ubi docet eos, quorum opera justa sunt, velut aurum, argentum, et lapides pretiosi nihil habentia materiæ inflammabilis, seu castigatione dignum, nihil incommodi ab illo igne passuros. Eos vero, quorum opera sunt velut lignum, fœnum, stipula, quæ apta sunt igni nutriendo, culpæ scilicet veniales, et reatus pœnæ, passuros detrimentum, fore tamen salvos. Erit enim hic ignis quasi ratione præditus, quia aget ut instrumentum Dei, et velut licitor ex decreto Iudicis puniet singulos plus vel minus pro culpæ et reatus quantitate; bonos quidem perimet, sed non cruciabit, reprobos graviter affliget, eos vero qui in statu quidem gratiæ sunt, aliquid tamen purgandum habent, cruciabit plus vel minus pro cujusque merito, ut docet D. Thom. in IV. d. XLVII. Videat unusquisque, quidnam hic ædificet, aureamne domum, an ligneam et stramineam. Hoc enim revelabit ei purgatorius ignis, si non ille extremus conflagrationis mundi. Ibi apparebit quid intersit inter probos et improbos, inter virtutes et vitia.

Tertio. Mundum expiabit. Est enim mundus hic velut templum Dei, ad ejus cultum et honorem ab eodem conditum; quod cum per infinita hominum scelera, per spurcitiis carnales et spirituales multis sæculis inquinatum sit, priusquam renovetur ad statum gloriæ, expiari debet per ignem, quemadmodum olim in diluvio expiatum est per aquam. Nimirum voluit Deus tempore Noe submergere peccata in vastissimo

illo oceano. Sed quia iterum caput erexerunt et dominantur in mundo rursus æque potenter ac prius, idcirco ea demum ingenti rogo injiciet et rediget in cinerem. Et quia creaturæ cæteræ qui innoxia ad peccandum cooperata sunt qualiquali modo, idcirco et ipsæ concremandæ, quemadmodum cum Sodomita et bestia comburuntur, quibus est abusus. Ea quam gravis et detestanda res peccatum sit. Si enim ita ardebunt res omni culpa vacantes, quomodo ardebunt impii tot sceleribus inquinati? Optime S. Petrus epist. II. capite III. ex hac mundi dissolutione concludit: *Cum igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus?* Quasi dicat; primo, non oportet confidere in rebus perituris; secundo, non oportet ædificare, quod simul exurendum sit; tertio, non oportet peccare, quandoquidem urentur etiam res innoxia, quæ quovis modo peccatoribus adminiculo fuerunt.

III. Sequetur resurrectio mortuorum, durante adhuc mundi incendio. Et qua ratione? Primo, præmittentur Angeli cum tuba, ut mortuos excitent et convocent ad iudicium, ut docet Dominus, Matth. XXIV. et Apostolus I. Corinth. XV. et I. Thessal. III. Intonabunt vero illud: *Surgite mortui, venite ad iudicium*, ut indicant Chrysost. et Theophyl. docetque Sotus in IV. d. XLIII. q. I. a. IV. Si non voce expressa et articulata, saltem voce hoc ipsum significante. Et, quamquam hic tonus erit uniformis, alius tamen erit in auribus electorum, alius in auribus damnatorum; illis erit optatissimus et suavissimus, his vero molestissimus et terrificus; illis erit velut sonitus tubæ annuntiantis jubilæum plenum gaudii et gratiarum, ut fieri consuevit olim Levit. XXV. his vero velut sonitus campanæ sanguinaria, quo evocantur e carcere rei ad iudicium et supplicium. Buccina jubilæi annuntiabit otium et quietem totius anni servis et jumentis, deinde restitutionem possessionis pristinae faciendam unicuique, denique, copiam frugum eo anno sponte et sine labore omnibus provenire solitarum, Lev. XXXV. Buccina iudicii annuntiabit electis dulcissimam quietem beatæ æternitatis, reversionem ad cælestem patriam, unde prius in Adamo ejecti erant, affluentiam bonorum omnium, nullo amplius labore, pretio, vel molestia comparandorum. Erit ergo eis, quasi vox turturis, jucundissimum ver beatitudinis annuntians, juxta id Cant. II. *Vox turturis audita est in terra nostra*. Campana vero illa sanguinaria quid aliud reis annuntiat, quam terrorem iudicii, publicam infamiam, gravia tormenta, mortem violentam, bonorumque hujus vitæ omnium jacturam? Et in ægre, putatis, isti egrediuntur e carce-

ribus ad iudicii theatrum? Similiter tuba judicialis denuntiabit impiis imminens sibi exitium. Tunc ergo verum erit illud paradoxum: *Veniet tempus, quo damnati nolent egredi ex inferno, et beati nolent manere in cælo*. Damnati nolent egredi inferno, partim ne videant vultum iratum et fulminantem iudicis: partim ne subeant probrum publicum damnationis coram toto mundo; partim ne cogantur assumere corpora, quibus præter animæ pœnas prius jam toleratas, novas alias luant, adeoque duplices. Beati e contra optabunt egredi e cælo, tum ut oculis suis videant Ducem suum, et auribus suis audiant dulcissimam ejus vocem: *Venite benedicti*; tum ut publicam recipiant meritorum suorum laudem et coronam, tum ut corpori suo amicissimo rursus uniantur, in eoque præter animæ stolam, alteram recipiant, adeoque duplicem.

Secundo. Mira Dei et Angelorum opera confluent in unum cineres uniuscujusque corporis et restituent id in integrum, sed in statu perfectæ ætatis et sine ullo defectu integritatis humanæ naturæ; tametsi ex alia parte magna erit diversitas inter illa corpora, ut indicat Apostolus I. Cor. XV. cum ait: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, ad gloriam videlicet, ita ut gloriosis corporis dotibus vestiamur. Hoc enim eveniet electis tantum. Damnati invenient quidem corpus suum immortale, sed passioni obnoxium, grave, deforme, fœtidum, horridum, ut sit animæ carcer et novus quidam infernus. Cogitate hic: quo vultu se mutuo intuebuntur anima et corpus impii? Quam ægre hoc par conjugum sibi mutuas dabit dexteræ? Quam ægre copulabitur? Maledicet anima corpori, quod in ejus gratiam plurima peccarit, quod tanta ei indulserit, quod ejus rebellione ad orcum pertracta sit. Maledicet corpus animæ, quod imperio ejus domitum non fuerit, ab illicitis cupiditatibus nec impeditum nec retractum, itaque per ipsam in statum hunc devenerit; sic nimirum infelices illi conjuges qui in vita hac facile convenerunt, et quascumque peccatorum illecebras pari contentione sectati sunt, omnes peccatorum dulcedines et voluptates pariter ebiberunt; cum spiritus efferebatur de sua quadam excellentia, statim caro se erexit et impensius ornavit; cum spiritus agitabatur odio vel ira, mox caro se armavit ad inimicum persequendum. Vicissim cum caro suas delicias sectata est, gulam, libidinem, avaritiam; spiritus cum hoc fure illico currebat, simul furabatur, furtum palliabat, negabat, tegebat: tunc velut spinæ se invicem complectentur, sibi que mutui carnifices fient. Contra vero anima electi, cum aspiciet corpus suum glo-

riosis vestitum dotibus, quantum sibi gratulabitur, quantum sibi in eo placebit, quas sibi mutuo gratias agent ambo isti conjuges, spiritus et caro, quod ille hanc optime rexerit, hæc illi obedierit: ibi spiritus carni dicet, quod legimus Cant. I. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum*. Et respondebit caro spiritui, veluti sponso suo: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina*.

Tertio. Congregabuntur omnes ad locum iudicii, qui erit vallis Josaphat prope Jerosolymam infra montem Oliveti, ut habetur Joelis III. ut ita Christus in ea regione iudicet omnes, ubi pro omnibus inique iudicatus est: ibique conspiciatur ejus majestas, ubi prius visa est ejus abjectio et humilitas: ut ubi descendat de cælo, ubi ascendit in cælum, et sic opus salutis nostræ ibi terminetur ubi cepit. Ibi erit area, ubi seges triturbatur, ibi erit toreular, ubi vindemia calcabitur. Angeli messorum et vindemiatores erunt, quorum falcem nemo fugiet, ut videre est Apoc. XIV. Cæterum in hoc etiam dispar erit conditio bonorum et malorum: illi enim sponte et per dotem agilitatis suapte vi occurrent Christo, imo velut aviculæ volabunt ad suum Iudicem, juxta id Domini: *Ubi est corpus, ibi congregabuntur et aquilæ*: hi vero, cum hac dote destituti et plumbei potius sint futuri, transferri ab Angelis debent. Ita fiet quod prædixit Isaias cap. XL. *Deficient pueri et laborabunt: et juvenes in infirmitate cadent. Qui autem sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assumunt pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt*. Impii dum in mundo sunt, communiter magni fiunt et amantur velut juvenes: pii contra velut senes contempti habentur. At in die illo, quo incipiet regnum Christi, pii assumentur, (ad electorum cuneum) impii relinquentur. Impii hic agiles, celeres et robusti sunt ad captanda mundi bona, divitias, honores, delicias, etc., pii contra tardi, impediti et infirmi, sed ibi sors mutabitur; pii ad Regis regum curiam et dexteram evolabunt, impii velut ignava pecora eo raptabuntur. Impii in mundo semper esse primi volunt, pii vero sequi et agmen claudere debent, sed ibi apud Christum pii erunt primi, impii postremi. Impii hic plerumque altiores sedes occupant, inferiores vero pii; sed ibi pii velut aquilæ in alto volitabunt, impii suo pondere terram prement. Impii in mundo liberrime vagantur, et quidquid desiderat cor eorum, id obtinent non difficile, velut imprimis venificæ, quæ per aërem quaquaversum feruntur, sua luxuria omnia prata percurrunt, in omnia cellaria invo-

lant, omnia perlustrant; at pii communiter alligati sunt inopiæ aut infirmitati, deinde legi Dei, ne pro libito frui bonis mundi possint. At tamen ibi pii libro perfruentur aere; et, ubicumque volent, ibi statim esse poterunt: impii vero terræ et carceri suo affixi erunt. Impii hic pascunt oculos suos creaturarum pulchritudine et obscænis imaginibus, pii suos claudunt. At ibi Regem gloriæ pii contemplabuntur inexplicabili gaudio, velut solem aquilæ; impii vero avertent oculos, et nolent eum videre, quem sibi iratum scient, adeoque dicent montibus: *Cadite super nos*, Ose. X. Nihilominus tamen nolentes ad tribunal ejus rapiuntur. Impii denique hic communiter expertes tribulationis sunt, nec facile tanguntur communibus flagellis, fame, peste, etc. quæ tamen in piorum dorsa crebro cadunt: sed in die iudicii pii veluti aquilæ a fulmine iudicantis minime tangentur (dicitur enim aquila fulmine non tangi) impii vero comminuentur.

CONCIO IV.

CUR ADVENTUM DOMINI SIGNA PRÆCESSURA.

I. Ista signa indicant mundi interitum. — II. Indicant iudicem mox venturum. — III. Ostendunt diem internecionis. — IV. Indicant creaturarum iram in peccatores. — V. Ostendunt gravitatem peccati. — VI. Monent ad penitentiam.

THEMA.

Erunt signa in sole, et luna et stellis. Luc. XXI.

Nostis, auditores, secundum regulas astrologorum, solem, lunam, et cæteras stellas erraticas seu planetas dici esse in signis, zodiaci videlicet, veluti in signo Virginis, Tauri, Piscis: nunquam vero dici, signa esse in sole, luna, vel planetis reliquis; quia nimirum signa constant stellis fixis, quæ in firmamento immobiles persistunt. Planetæ vero, stellæ errantes, quæ sunt infra firmamentum, signa illa variis itineribus perambulant, adeoque variis aspectibus afficiunt. Hæc cum ita sint, quid sibi vult prognosticon, magni illius Astrologi Christi, cum inverso ordine ait: *Erunt signa in sole, luna, et stellis?* Mea quidem sententia nihil aliud vult dicere, quam omnia perturbanda, et rursus deorsum itura esse extremo illo tempore, adeoque ipsorum etiam siderum cursum, aliaque omnia e suis locis movenda, sicut dixit Joel, c. III. *Movebuntur cæli et terra*. Jam ergo si astrologi, cum prævident miros et insolitos astrorum aspectus, curiose perscrutantur, quidnam illi portendant: multo æquius est, nos ut sedulo inquiremus, quid tandem insueta et horribilia illa signa denotent. Id vero hic faciamus.

I. Signa illa indicant utriusque mundi ma-